

cum altero congruit, ut neque se invicem exscriptisse, neque imitatione expressisse credantur.

Contradi Operis Author Praefationem instruxit (i), qua Lectores monet, se in tanta Librorum de hoc argumento multitudine, & in tanta instruendi se singulorum inspectione difficultate, ut eorum commodis serviret, redigere in compendium Opus illud suscepisse. Primò omnium recitat Epistolam à Judæis Jerosolymitanis ad fratres suos Alexandriae versantes (k) datam, instruendis illis de celebratione Festi Expiationis Templi per Judam Macchabæum. Additur & secunda ejusdem argumenti (l) à Senatu Jerosolymitano una cum Juda ad Aristobulum Regis Ptolemæi præceptorem scripta in idem argumentum. Posterior hæc epistola pertinet ad A. M. 3880. Joanne Hircano rerum potente; ad quam etiam ætatem hujus Libri Author refertur. Porò totam Libri historiam spatium 15. annorum metitur, à suscepta ab Heliodoro Sacri Ararii expilatione usque ad devictum per Judam Macchabæum Nicanorem.

Scripti Operis elegantia suspicandi occasionem præbuit nonnullis, ut Philonis Judæi sive Josephi (m) fœrum crederent; cui etiam Josepho tribuitur Opusculum de Macchabæis sive de Imperio rationis. Sed scriptum illud longè diversum est ab altero, de quo in præsentia. Philonis verò stilius adeò huic Operi parum congruit, & rerum Macchabæarum tam parum ille instructus videtur, ut non nisi per summam temeritatem Author Operis statuentus fuisset. Tandem in recensendis Operibus Philonis, nihil de illo apud Eusebium & S. Hieronymum legas. Serarius (n) maluit, Judam Essenium vaticiniis suis apud Josephum notissimum; quem vitium insinuari credit 2. Macch. 2. illis verbis: Judas ea qua deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. Verùm his Judam Macchabæum insinuari facilius credimus; nunquam autem persuademur satis esse argumti, ut scripta à Juda Essenio sive à Juda Macchabæo hæc historia probaretur. Nihilò validioribus conjecturis Simonem Macchabæum Summum Sacerdotem Opus digessisse Leo Allatius de Simeonib. probavit.

Suspicati sunt nonnulli, non Librum esse sed Epistolam à Senatu Jerosolymitano ad Judæos Ægyptios missam; & D. Cotelierius veterem Epitomen hujus Libri laudat, in qua in formam epistolæ digestum esse Opus asseritur. Sed epistola à Senatu Jerosolymitano missa aperte satis à reliqua historia, tum ex præfatione illi præmissa, tum & instituta aliter narrationis serie, satis distinguitur.

Qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt, Canonicam Libris Macchabæorum auctoritatem detrahunt. Productis enim in medium veterum Authorum Ecclesiasticorum ad apocrypha illos rejicientibus judiciis, ita constituunt, ut quemadmodum non inspiratum Opus nullâ Ecclesiæ auctoritate inspiratione donaretur; ita pariter ne-

que ab initio rejectum accedente dein, ejusdem Ecclesiæ judicio admitteretur: uno verbo, Ecclesiæ sententia rei naturam nunquam immutat, sed veritate ejusdem rei jam antea constitutâ, ejus deinde judicium accedit; quod proinde Authoritati Divinæ Operi tribuendâ, sin minus ipsum Divinum fuerit, nihil confert.

Postremum hoc assertum ab omnibus æquè Theologis admitteretur; quare unicè in præsentia laborandum, ut sedulo verborum æquivocatio tollatur. Fate-mur quidem, illud vetustatis judicium, siquidem uniforme & constans deprehenderetur, si primores & amplissima tum auctoritate, tum Fidelium numero Ecclesiæ in suis cœtibus Opus illud è canone expungendum censuissent, maximi habendum fuisse momenti; vix enim rejectum ab illis Opus hodie probaretur. Rata est enim & asserta illa S. Augustini regula (o), ea nimirum inter Canonicas Scripturas habenda, quæ sive maximis Ecclesiæ numerus probavit, sive Ecclesiæ Apostolicæ, & quæ datas sibi ab Apostolis Epistolas receperunt, & ad nos transmitterunt. Scripturæ illæ omnium Catholicarum Ecclesiarum consensu probatæ, primas obtinere debent inter eas, quæ nonnullorum iudicio olim rejectæ sunt; inter has verò posteriores potior illarum est ratio, in quas major numerus, & auctoritas inclinat. Quamquam igitur è Canone Sacrorum Librorum Macchabæi expungantur apud Melitonem, Concilium Laodicenum, Pseudo-Athanasium in Synopsi, S. Cyrillum Jerosolymitanum, S. Hilarium, S. Gregorium Nazianzenum, S. Gregorium Magnum [p], S. Joannem Damascenum (q); his tamen major numerus opponeretur Vererum Authorum, tum & Concilia quædam suo iudicio Opus probantia. In Epistola ad Hebræos non obscure supplicium Sancti senis Eleazari innuitur; cum scilicet inter Martyres Veteris Testamenti sanguine suo veritati Fidei illustre testimonium ferentes, eorum aliqui recensentur, qui *tympani* supplicio affectus est, nempe S. ille Senex acerbo illo supplicio absumptus (r). Author Canonum Apostolicorum (s), Tertullianus (t), S. Cyprianus (u), Lucifer Calaritanus (x), S. Hilarius (y), S. Ambrosius (z), S. Augustinus (a), Cassiodorus, Rabanus Maurus, Bellator Presbyter, S. Isidorus Hispalensis, alique nonnulli tanquam Divinas Scripturas Macchabæos laudant. Tandem in Canone receptus est tum apud Concilium Carthaginense (b), ab Innocentio I. (c), tum pariter à Concilio Tridentino. In decreto Gelasii unus Macchabæorum Liber Canonicus recensetur, quantum ad impressa Exemplaria; sed in nonnullis optimis Mss. duos haberi tradunt.

Consultò testimonia Origenis, & S. Hieronymi prætermisimus, cum non sibi satis constare & nescio quid sibi repugnans præferre videantur. Origenes in sua Praefatione in Ps. geminos Macchabæorum Libros è numero Scripturarum excludit, ipse

Apostolicas Sedes tenere & epistolas habere meruerunt.

Greg. Moral. lib. 19. cap. 21. num. 34. nov. edit. vide. Praefat. General. punct. 11. art. 16.

De Fide Orthodox. l. 4. cap. 18. Quamquam ipse in Orat. de dormit. Fidel. laudat librum Secundum.

Macchabæorum, & tamquam Scripturas Divinas. 1. 2. Macch. 6. 19.

Canon. Apost. 84. seu 85.

Adversus Jud. cap. 4.

Cyprian. lib. de exhort. ad Martyr. cap. 2.

lib. 3. Testimon. ad Quiric. cap. 15. & ep. 55. ad Cornel. Pap.

Lucifer Calaritan. de non parcendo in Deum delinquentibus.

Hilar. in Psal. 134. & c.

Lib. contra Constan. Imperator.

Ambros. lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 10. 11. 12. & lib. 1. de Offic. cap. 40. 41. & lib. 3. cap. 20.

August. lib. de cura gerenda pro mortuis cap. 1. & lib. 2. de Doctr. Christ. & lib. 18. de Civitate cap. 36. & lib. 1. contra Gaudent. Donatist. cap. 31.

Concil. Carthag. 3. Canon. 47.

Innocent. I. ad Exuper.

ipse

ipse tamen tanquam Divinas Scripturas & parisi cum cæteris auctoritatis laudat, de Princip. cap. 1. & in Commentario ad cap. 5. Epist. ad Rom. tanquam de Opere agit inspirato, & parisi cum cæteris aliis Canonicis Libris auctoritatis. S. Hieronymus in Praefatione sua ad Libros Salomonis tradit, Macchabæorum Libros legi quidem ab Ecclesia, Sed eos inter Canonicas Scripturas non recipi: alibi verò (d) ipsos eisdem Libros tanquam Divinam Scripturam laudat.

Tandem non incuriosè animadvertendum est plerosque ex Patribus è Canone Macchabæos expungentibus, in Judæorum tantum sententia apud quos hodie etiam rejiciuntur locutos fuisse; alios verò neque satis accuratos, neque satis sibi ipsis constantes deprehendi, cum non rarò contigerit, ut ipsum Opus è Canone excluderint, simulque tanquam Divinum laudarent; quod jam de S. Hieronymo, & Origene observavimus. Alii verò in Ca-

nonem receperunt Opera jam diu consensu Ecclesiæ unanimi exclusâ, ut de Canonibus Apostolorum S. Clementi tributis apud S. Joannem Damascenum legas. Fuerunt qui in Catalogis suis eos quoque omitterent Libros, quos Judæorum, & Catholicorum unanimis consensus probabat; veluti de Libro Esther constat, omisso à Melitone. S. Athanasio sive Authore Synopsi, S. Gregorio Nazianzeno, Leontio, Nicephoro.

Non est igitur cur in tanta opinionum varietate invidia in Libros Macchabæorum Canonicos creetur, quos major Scripturorum numerus, & auctoritas ab omni apocryphi suspitione purgat. Plura in Chronologia vitia in Sacros illos Libros notantur. Repugnantia etiam quædam in rerum narratione & circumstantiis historiarum contra eorum veritatem obicere frustra conati sunt adversarii; sed eorum cavillationes satis superque in Commentario arguimus.

DISSERTATIO DE COGNATIONE JUDÆORUM ET LACEDÆMONUM.

Nullius in Orbe populi illustrior, vetustior, magis constans & rata, quam Judaica gentis origo asseritur. Perpetuam Avorum seriem à primis illis mortalibus deducunt, inter majores suos referentes vetustissimos quoque Patriarchas & maximarum gentium Authores. Eorum historia atque Genealogie cum neque obscure sint, neque recentes, neque fabulis corrupte, non interruptam neque dolosam earum rerum possessionem vindicant, cum originis veritatem ex ipsis vetustissimis & maxime omnium probatissimis Scripturis asserent; ex Libris nempe Sacris, de Legibus, & Religione Hebræorum scriptis. Porò Codicibus illis præ cæteris omnibus populis vetustatis laudem Judæis invidentibus privilegium illud manet, quod nempe apud Judæos tanquam inviolabilis auctoritatis, & Divini Spiritus Opera habeantur. Nec minori in illos obsequio tenentur reliquæ gentes quæcumque veram religionem susceperunt; nec qui à sacris Judæorum alieni sunt, illum neque errorem, neque commentum, & si maxime voluerint, deprehendere unquam possunt. Quamdiu Divinum illud Opus Judaicè tantum, cæteris ignotâ linguâ, scriptum mansit, alta rerum Judaicarum ignoratio cæteras omnes Orbis nationes tenuit; ut nihil nisi chimæricum, & supra fidem de illis suspicarentur. Ex quo verò in alias linguas

translata Sacra illa volumina veluti referata sunt, originem quæque gens suam in illis scrutari certavit.

Sub Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege primùm Hebræorum Scripturæ apud Græcos vulgari cœperunt. Cum enim Rex ille novarum scientiarum cupidus Libros Hebræicos in Græcum translatos in illustrissima Bibliotheca sua Alexandriae collocasset, eorum inde lectio in cæteros derivata est. Græci novitatis amantes ad ignotam sibi Historiam obstupescere; existimare inde Judæos, quos olim contempserant; & ignota ad id usque ac despicatissima gentibus natio in pretio deinde cœpit haberi, tanquam vetustissima & illustrissima originis. Hæc saltem sententia viris quibusque amplissimis & præstantissimis de illis sedit; vetera enim aliorum præjudicia penitus exscindere res erat ardua & prorsus impossibilis.

Lacedæmonum gens in primis gravis, sapientiâ ac virtute inter Græciæ populos præstans, cum tabularum suarum inspectione nosset, arcto necessitudinis vinculo teneri se cum Hebræis, utriusque enim genti comunem fuisse parentem Abrahamum, de ejus originis honore sibi blandientes, quamquam alioqui severioris essent indolis, utpote Græci & Spartani, præclarè tamen secum agi putarunt, si vetustissimam illam ac nobilissimam affinitatem etiam atque etiam foventes, ipsi primi cognari foederis amicitiam promoverent. Arax Spartiatum Rex literas ad

Ontiam

et 1. Macc. 12. 20. Latinus scriptas prius à Judæis ad Lacedæmones epistolas, habet; à quibus hoc datum responsum: Bene facietis scribentes nobis de pace vestra &c. Verum. Græcus scriptas à Lacedæmonibus primò has literas ad Judæos habet: Bene facietis scribentes nobis de vestra pace. Et nos rescribemus vobis. Josephus plurimum à Vulgata discrepat. Vide Commentar. 1. Macc. 12. 20. f. 2. Macc. 5. 9. g. 2. Macc. 12. 6.

h. Joseph. Scalig. Can. Isag. lib. 3. pag. 332. Reinocius de Regno Spartan. pag. 335. Rainold. de Libb. apocryph. pag. 104. Bochart. Canaan. lib. 1. cap. 22.

Oniam Summum Sacerdotem & gentis Judaicæ Principem dedit (e) in eam sententiam, nimirum compertum habuisse Lacedæmones, arcto se necessitudinis vinculo cum Judæis conjunctos, utpote genus ex Abrahamo utriusque referentes; rogare proinde, ut de rebus ipsi suis certiores Lacedæmones facerent; testari autem se eo consilio literas ad ipsos dedisse, quod & suam cum Judæis consensionem testarentur, illisque sua omnia tamquam dominis permitterent.

Quid Onias rescripserit, incertum; sed ex historiae serie intelligimus, utramque gentem nunquam cognati foederis iuribus violatis, semper fraternæ charitatis vinculo conjunctas fuisse. Jason Summus Sacerdos coactus è patrio Judæa solo, & ex Arabia, quò confugerat, faceffere, tutum apud Lacedæmones effugium nactus est (f). Pluribus post scriptas Aræi literas annis, Jonathas Summus Sacerdos frater Judæ Macchabæi, datis ad Senatam Populumque Spartiatum literis, sancitum olim foedus innovavit (g). Quare necessitudinis vinculo adstrictos sese reputasse cum Spartanis Judæos, utriusque genus ex Abrahamo referre gloriantibus, res est exploratissima.

Quamquam autem hæc ita se habent, nec in reliquis tamen nostrâ ætate extantibus Sacrarum Scripturarum monumentis, nec in scriptis veterum Græcorum sive extraneorum Authorum explorati satisque solidi tenemus aliquid, quo de origine utriusque gentis ex Abrahamo repetendâ doceamur. Quare viris quibusdam Eruditis persuasum est, ea quæ de cognatione illa ferebantur, chimerica fuisse errantis phantasiæ ludibria (h). Alii veram credunt historiam, alii dubiam & incertam. Quæcumque tandem sententia teneatur, satis tamen constare arbitror, Hebræos æquè ac Spartanos eâ de re factis fuisse persuasos, quos proinde plausibiles aliquæ & veri speciem præferentes rationes in eam persuasionem inducere debuerant.

Nos quidem in eam penitus sententiam descendere, qua cognatio illa in dubium revocatur, vix possumus. Profectò si Judæis & Spartanis nulla persuasionis suæ, qua utriusque ex Abrahamo genus referre credebant, nulla, inquam, suppetebat ratio, quàm quæ in eorum literis, tum & in reliquis Scripturarum Divinarum, atque Prophanorum Scriptorum monumentis hodie patet, cur in eam opinionem devenissent nihil erat; cum verò plura illis suppetere potuissent ætate nostrâ penitus ignota, idè quæ de hac origine feruntur, ad fabellas amandare nec possumus nec debemus. Judicare enim quæ neficias, nemini permissum; injustum verò suspicari populos integros, levibus tantùm inductos argumentis, talia in animum induxisse. Consensum proinde æquitati censemus, si rem esse nobis incognitam fateamur.

Solæ supersunt in examen revocandæ conjecturæ, quibus persuaderi potuisse Lacedæmones de origine sua ex Abra-

hamo repetendâ videntur. Autamarunt nonnulli (i), eos populos apud Moysen legentes [k] Ebal unum ex filiis Jectan filii Phaleg & nepotis Heber, nomen illud confundendum censuisse cum Eballo patre Tyndari & avo Castoris, Pollucis, & Elenæ. Hæc tamen opinio pluribus redarguitur. 1. Ebal patrem habuit Jectan filium Heber; Abraham verò filius Thara sex generationum ab Heber distat intervallo (l). Quare Ebal ex Abrahamo repetere vix possumus, cum avum haberet Heber sex gradibus ab Abrahamo remotum. 2. Hebal & Abraham ad geminas familias ex Heber deductas pertinebant. Porro ex Heber, Phaleg, & Jectan prognati geminæ hujus familiae auctores fuerunt, quarum primæ Abraham, secundæ Ebal accensebatur. 3. Tandem Ebal filius Jectan pluribus sæculis Ebalum Tyndari patrem præcessit, quod facile, si res posceret, demonstraremus.

Author Commentariorum in Macchabæos sub nomine S. Thomæ vulgatus, hanc opinionem referendam censet ad inducendam apud Spartanos opinionem, se nempe originem suam debere Agar, sive Cethura, quæ ambæ Abrahamo nupserunt, & varias in Arabia gentes propagarunt. Hæc opinio satis hodie vulgaris in eo tamen peccat, quòd populos, unde Lacedæmones deducti fuerint, non indicat. Nomen Lacedæmones derivari potest ex Hebræo *Leumim Kodmonim*, populi Orientis. Porro utraque gens conjecturam popularem & favorabilem, rei veritate non satis exploratâ, sequi facile potuit. Sexcenta occurrunt hujus generis in vetustis populis & plurium Veterum familiarum traditionibus, quæ è patre in filium perpetuantur, absque eo quod opinionis illius aliud suppetat fundamentum, quàm quòd res habeatur à patribus accepta; eamque defendere & pro viribus servare tamquam sibi traditum depositum nepotes religiosum sibi arbitrantur. Ita originem suam Troianis debere se Romani, quæ ac veteres Galliarum Reges, certissimum tenebant.

Grotius suspicatus est cognationem illam (m) Judæos inter & Spartiatas ex eo repeti, quòd Lacedæmones prognatos se è Doribus, & illi vicissim è Pelasgis crederent; cum verò Pelasgi è finibus Syriæ, sive Arabiæ venissent, casu in eam opinionem descensum est, Lacedæmones pariter & Judæos tamquam gentiles populos ex eodem facile fonte derivatos. Notat etiam idem Author, plures in Dorica Dialecto superesse voces ex Hebræa radice, quæ pristinam gentis originem producit.

Verum D. Morinus (n) contra Grotium observat, 1. Pelasgos ex Arabia in Græciam venisse ante initas Abrahami cum Cethura nuptias; ut proinde genus ex eodem Patriarcha referre minime possint. 2. Defendit autem ex Adonibus vel Adoniis populus Thraciæ potius derivandam Iduæos inter & Judæos necessitudinem. Adonios autem illos surculum esse censet Iduæorum, quemadmodum nomine ipso insinuat. 3. Tandem defendit, opinio-

Quidam apud Joseph. Scaliger. Can. Isag. lib. 3. pag. 332. & apud Salian. ad A. k Gen. 10. 28.

l Gen. 11. 16. 17. & seq. Rev. Sarug, Nachor, Phaleg, Thare, Abraham.

m In 1. Macc. 12. 20.

n Vide Tom. 1. Reip. Liter.

nem suam semper cum veritate constare, admittit etiam ultro Lacedæmonum origine ex Pelasgis; cum Pelasgi moram aliquam in Thracia duxissent, antequàm in Peloponnesum venirent: ex quo factum, ut facile cum Adoniis coeuntes, in unum cum illis populum coalescerent. Quibus semel constitutis, Lacedæmones originem suam repeterent ab Esau per Adonios, & à Pelasgis cum Adoniis conjunctis. Eutyechius Patriarcha Alexandrinus eandem pariter cognationem ab Esau accersit; sed aliâ planè initiâ ratione, Edomo uxorem tribuit præter mulierem Chananaam, Græcam aliam foeminam; ex quo factum, ut genus Abrahami Græci quæ eodem necessitudinis vinculo inter se conjungerentur.

Verùm hæc omnia nimis longè petuntur. Adonios ex Edom vel Esau derivatis quis probat? Quis Lacedæmones ex Adoniis sive Pelasgis; quisve utramque gentem in unum populum coaluisse? Videtur quæ de Pelasgis ad Gen. 10. discernimus. Quæ tandem veri species, Esau uxorem sibi è Græcia acquisivisse, quemadmodum Eutychio visum?

Non desunt qui autemaverint, Lacedæmones totam hanc cum Judæis necessitudinem ex eo repetere, quòd Cadmus Phœnicus genere, & itineris sui socios habens Arabes (o), ex ea regione venerit, quam totam fermè Abrahami posterii frequentarunt. Græci autem, re non satis discussâ, in eam opinionem descendisse potuerunt, Cadmum ejusque socios Judaicam originem referre. Porro Cadmus urbis Sparte sive Lacedæmonis auctor habetur. Ipsum etiam nominis Sparte etymon ex eo repetitur, quòd Cadmus ibi, quemadmodum Thebis, draconis dentes disseminaverit, unde homines nati. Hanc opinionem venditat Eustathius in primum librum Odyssæ.

o Ita Strabo lib. 10. Vide, si lubet, Dickinson Delpi Phœnicizant. cap. 12.

p Ex Phereci. de lib. 3. Bibl. cap. 4.

q Diodor. Eclog. ex lib. 40.

qui in Græciam sub Cadmo, & Danao venerunt, quasi ad eandem regionem & originem cum Judæis pertinuisent. Fabellæ sunt quidem; sed nos conjecturas tantùm plausibiles quærimus, quibus populari huic opinioni occasio præberetur; opinioni, inquam, primò à Spartiatis insinuatæ, dein adoptatæ à Judæis (r).

Spartanæ urbis auctorem constituunt alii Spartonem virum Judæum, expeditionum & itinerum Bacchi comitem; alii Spartum filium Phoronæ; quidam Inachum; nonnulli Amyclam. Sunt qui nomen Sparte derivent ex filia Regis Eorotæ, quæ Regi Lacedæmonis nupsit. Hujus controversiæ examen tanquam à nostro argumento alienum præterimus, ea tantùm quæ de Spartone Bacchi comite, & Lacedæmonis conditore, tanquam viro Judæo genere, feruntur, animadvertere in rem presentem juvat (s). Semel enim historiam illâ admittâ, Lacedæmones communem habere cum Judæis originem jurè meritoque jactarentur. Verùm affirmare possumus audaciter, Spartonem hunc nihil ad Judæos pertinuisse; sicut & quæ de condita ab eo Lacedæmone feruntur, ambigua esse & incerta; cum ne nosse quidem virum Lacedæmones constet apud Pausaniam in Corinthiacis.

D. Huetius (t) olim Episcopus Abrincensis arbitratus est, Reges Lacedæmoniarum, qui se ab Heraclidis prognatos rebantur, eadem fortè persuasione inductos fuisse, ut originem Judaicam referrent. Hercules Phœnicus nomen satis celebre non rarè cum Hercule Thebano confunditur; nec satis distinguebantur à Phœnicis Judæi, utpote gentes ad eandem provinciam pertinentes. Ut quid igitur in re arbitraria, & Regibus Lacedæmoniarum honorificâ non facile descenderetur in eam opinionem, cui nihil fuisse impossibile, nihil repugnans crederetur? Juvat enim in quibusdam errasse, & imponi nobis aliquando non inviti toleramus.

Idem Antistes aliam proponit conjecturam, quam præ altera probamus (u). Judæos originem suam è Creta referre vetus erat opinio, de qua Tacitus (x): Judæos Cretâ Insulâ profugos novissima Lybia insedisse: argumentum è nomine peti; inclutum in Creta Idam montem; accolæ Idæos autem in barbarum cognomen, Judæos vocari. Porro nomen Ida satis convenit cum Juda, & Idæi cum Judæis: sicut & amnis Jordan cum Jordane flumine Palestinæ, unde facilis traditioni occasio data; cui etiam illud accedebat, Cretenses pariter ac Judæos peculiare habuisse leges, quæ omnium vetustissimæ habebantur: illas dedit Minos, has Moyses. Porro vulgari rumori spargendo, & in majus effereudo levissima quæque sufficiunt.

Adjectisse potuit vir doctus, Septuaginta Interpretes in ea fuisse persuasionem, Philisthæos ex insula Cretæ originem duxisse. In Sophonia 2. 5. legitur de Philisthæis, in Vulgata quidem, Gens perditiorum; apud Septuaginta, Aduena Cretensium; & in Hebræo, Gai Cherechim. Ple-

r Vide Bochart. Canaan. pag. 458.

s. Vide Claud. Julian. apud Steph. Byzant. v. Judæa, qui Spartoni filios tribuit Judam, & Idumæam.

t Demonst. prop. 4. de lib. Josue. art. 14.

u Prop. 4. cap. 4. art. ult. x Histor. 1. 5. init. Vide sicut, Conon. narrat. 36. & 47.